



# IN SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MATTHÆVM CA- THOLICA EXPOSITIO ECCLESIASTICA.

*Authorum nomina qui in commentariis in Euangelium Matthæum,  
Marcum & Lucam citantur.*

A Martinius Bucerus. c Gilvius. e Erasmus in annotationibus. M Musculus. P Philippus Melanchthon. s Sacerius. T Trentius. BV Bu-  
lingerus. A Augustinus Marloratus. z Zuinglius. v Vitus Theodorus.

## ARGVMENTVM.



**Q**UO PLANIORA sint ea quæ in hac Evangelica historia nobis describuntur, videndum est in primis quo consilio Evangelistæ non contenti prædicandi munere, scriptis etiam prædicationem de Christo Iesu (quam ore suis temporibus passim vulgabat) Spiritus sanctus, fore post Apostolorum dormitionem ut instinctu Satanæ multi, ad vitandam Christi doctrinam & fidem, adulterina dogmata, & inania somnia mortalibus sub Christi nomine obruderent, A. falsaque pro veris supponerent: atque ita veram Evangelij lucem aut profus extinguerent, aut certe suis nebulis sic obscurarent, ut veritas à mendacio vix discerni posset. Nota nanque est pseudoapostolorum calliditas, qui quum dolosi sint operarij, sumpta persona Apostolorum Christi, incautus facile imponunt: sicuti Paulus disertè ostendit 2. Corinth. 11. c. 13. M Ideo ut certa constaret in Ecclesia de Christo doctrina, curavit Spiritus sanctus, ut primum historico modo Christi natiuitas, vita, doctrina, mors, sepultura, resurrectio & in cælis assumptio: adhuc & Evangelica legationis in totum orbem emissio, postea & Evangelicæ doctrinæ Christianæque fidei progressus: item declaratio & confirmatio per fidos testes, hoc est, sacros Evangelistas, scriptis mandarentur, qui coram omnia ipsimet audissent ac vidissent, & qui sumpta a Deo virtute & autoritate, primi ad prædicationem Evangelij in orbem essent amandati. In hunc usum scripserunt quatuor Evangelistæ historiam Christi: inter quos non solus Lucas in suum Euangelium præfatur, causam breuiter exponens, qua ad scribendum inductus fuerit: quemadmodum suo loco videbimus. Quod ad Evangelij nomen attinet, B hæc vox Græca bonum siue latum nuntium significat: qua voce vsi sunt Septuaginta interpretes quoties verbum Hebraicū נְשִׂיָא quod nunciare significat, & ab eo deriuata נְשִׂיָא, nuntium, & נְשִׂיָא, nunciatus, occurrerunt. Usurparunt post eos hæc vocē Apostoli & Evangelistæ. Lucas Esaiæ verba citans, vsus est hoc verbo: Ad euangelizandum pauperibus misit me, cap. 4. c. 18. Esa. 61. a. 1. B Erit ergo nobis Euangelium publica gratiæ ac redemptionis per Christum partæ denuntiatio ac prædicatio, de qua innumera Scripturæ oracula extant: C vel Euangelium liber est siue historia iucundum aduentus Christi in carnem nuntium continens, missi à Patre iuxta promissiones suas in Lege, Prophetis & Psalmis: in qua quidem historia ipsius Christi præcipue vita, doctrina, mors, resurrectio & ascensio narratur: simul etiam fructus aduentus, nempe ut per ipsum liberemur a diabolo, peccato & morte: utque sanctificemur, & vita tandem æterna donemur. B Sicut ergo Euangelium in Scripturis proprie est expectatæ diu tandemque exhibitæ per Christum salutis denuntiatio, publicumque præconium, scitè Matthæus noster (ut & reliqui, Marcus, Lucas & Iohannes) suam de Domino historiam, qua dicta & facta eius ordine narrat, Euangelium inscripsit. A Quis autem fuerit hic Matthæus qui primum locum inter Evangelij scriptores occupet: M & ex qua vitæ conditione per Christum vocatus, & in Apostolicam dignitatem euectus sit, ipse de se narrabit infra 9. a. 9. M Interim cogitandum nobis est, verum huius historiarum auctorem Spiritum sanctum esse, organum tantum ac ceu amanuenssem Matthæum, B qui relicto quæstuofo vitæ genere, factus sit non solum affectator & discipulus, sed & Apostolus & Evangelista Christi. A A quo quicquid boni est in mundo, tanquam ex viuo cælestis gratiæ fonte potuit.

## CAPVT PRIMVM.



**L**IBER generationis IESV Christi filij Dauid, filij Abraham. LIBER GENERATIONIS. C Frustra in hoc titulo laborant quidam interpretes, ut excusent quod totam historiam Matthæus à dimidia parte vnius capituli denominet. Neque enim hæc epigraphe ad totum librum extenditur, sed libri nomen positum est pro catalogo: ac si dictum esset: Sequitur catalogus generationis Christi. e Sicuti apud Mosen legitur: Liber generationis hominum, Ge: 5. a. 1. Quo loco Hebraice, habetur סֵפֶר סֵפֶר, quod venit à verbo סָפַר, numerari, recensuit, narrauit. Subijcitur enim illic catalogus hominum ab Adam vsque Noah cum descriptione à quo quisque & quo tempore fuerit progenitus. Liber igitur hic pro catalogo, recensione & enumeratione ponitur. Aut eiusmodi librum significat, in quo aliquid recensetur aut numeratur. M. Vnde Librum Iustorum, librum Dei, in quo iusti scribuntur, sic legimus appellatum, Exod. 32. g. 32. & Iosue 10. c. 13. B. Proprie igitur hoc nomen catalogo & historiarum competit. A. Quamquam autem Evangelistæ propositum est ostendere, Iesum Mariæ filium, verum esse Messiam olim in Lege & Prophetis promissum, & à patribus expectatum: B voluit tamen ab humilitate generationis, Euangelium Christi aspicari, per vitæ ærumnas extremumque supplicium illud, ad resurrectionis

vsque gloriam & potentiam, maiestatemque regni eius (in qua sedens à dextris Dei omnia moderatur) deducturus: ut sicut Christum antea passus fuit, & ita in gloriam suam introiit, ut quæ ante exinanitiuit se, homo factus & seruus, ac humiliatus se vsque ad mortem, mortem autem crucis (Philip. 2. a. 7.) ita nobis Christum antea hominem mortalem & crucifixum quam immortalem & gloriose regnantem, prædicet: atque sic per stultitiam prædicationis saluos faciat credentes, 1. Corinth. 1. c. 21. A. Iohannes quidem paulo aperius Christi maiestatem statim ab initio prædicat: B. docens, illum esse æternum Patris sermonem, illam diuinam vim & potentiam qua condita sunt omnia, consistunt, viuunt, sentiunt & intelligunt omnia, cap. 1. a. 1. Matthæus verò noster vno verbo Christi diuinitatem indicasse satis duxit, scribens: Liber generationis Iesu Christi. Etenim quod Iesum, qui faber & fabri filius credebatur, (Marc. 16. a. 3.) Christum vocauit, expectatum illum regem & patribus promissum, sciens, vim nominis huius, abunde testatus est. FILII DAVID, FILII ABRAHAM. C. Christum vocat filium Abraham & Dauidis, promissionum respectu: quia Deus semen ex Abraham oriturum promiserat, in quo semine benedicerentur omnes gentes, Genes. 12. a. 3. & 22. d. 18. Dauidi autem clarior data fuerat promissio, fore ut regnum eius stabile maneret vsque ad finem seculi, & rex ex eius progenie federet in solio, donec sol & luna in cælo fulgerent, Psalm. 89. c. 37. Quare vulgaris loquendi vsus inter Iudæos obtinuerat ut Christum dicerent filium Dauidis. M. Quod ergo Matthæus Abraham & Dauidem præposuit, celebritatis gratia factum est, quia Dauidis nomen ea ætate omnibus in ore erat, quancumque de futuro Christo sermo iacidebat: quam celebritatem Prophetarum oracula induxerant, quibus solenne erat sub nomine Dauidis Christum futurum prædicere. Sic passim acclamabatur Christo, Fili Dauid, Hosanna filio Dauid, infra 21. a. 9. Et Pharisei de Christo interrogati cuius esset filius, responderunt, Dauidis filium esse. infra. 22. d. 42. Et Paulus ait: Qui genitus fuit ex semine Dauid secundum carnem, Rom. 1. a. 3. A. Ceterum quoniam Christi genealogia à duobus Evangelistis Ma-